

# @Pontifex\_In

## #HomiliaSanctaeMarthae

### 9 Martius 2020

Cum nos non solum recordamur peccatorum quae commisimus, sed etiam nobis est sensus confusionis, hoc cor Dei tangit et Ipse misericorditer respondet. Poscimus hodie erubescendi gratiam.

### 10 Martius 2020

Hodie Dominus nos omnes peccatores ad colloquendum cum Illo invocat: "Nolite timere". "Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur" (Is 1,18).

### 12 Martius 2020

Poscimus hodie a Domino gratiam ne incidamus in animi torporem, hanc gratiam ut omnes notitiae de doloribus humanis quas audimus, in cor descendant nosque permoveant ad aliquid pro aliis agendum.

### 13 Martius 2020

Dominum oremus hodie, ut gratiam praestet revelationis gratis datae numquam obliviscendae. Deus manifestatus est pro nobis donum, nobis largiendum atque exhibendum sicut est, non sicut possessio nostra. #HomiliaSanctaeMarthae

### 14 Martius 2020

In parabole filii dissoluti (Lc 15, 1-32) Dominus summam quaestionem significat nobis: vivere domi, sed domi sese non percipere, cum absit nexus paternitatis, fraternitatis. #HomiliaSanctaeMarthae

### 15 Martius 2020

#EvangeliumHodiernum (Io 4, 5-42) narrat nobis de occurso Iesu cum muliere peccatrice, quae veritatem ei dicere valuit. Praestet Dominus nobis gratiam veritatis nostrae ad eum vertendae.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### 16 Martius 2020

Deus semper in simplicitate agit: in simplicitate cotidiani operis, in simplicitate precationis; spiritus mundi autem nos ad vanitatem ducit, ad simulacra quae in vim cedunt. #HomiliaSanctaeMarthae

### 17 Martius 2020

Parabola a Iesu narrata (Mt 18, 23-35) valde perspicua est: venia postulat remissionem. Duo simul procedunt neque disiungi possunt. Ad caelum ingrediendum necesse nobis est remittere.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### 18 Martius 2020

Deus noster providet et a nobis petit, ut alii in alios provideamus. Nequimus nunc fortasse corpore adesse ob metum contagionis, possumus autem expergefacerere in nobis morem propinquitatis per orationem et mutuuum auxilium. #HomiliaSanctaeMarthae

### **19 Martius 2020**

In hac sollemnitate sancti Ioseph Dominum exposcamus, ut concedat nobis gratiam vivendi rem vitae cotidianae una et rem ipsius mysterii. Mysterium ingredi non est somniare; mysterium ingredi est adorare.

### **20 Martius 2020**

Deus pietatis innumera vitae nostrae vulnera medebitur et scelera multa quae perpetravimus. Redire ad Deum vult complexum quaerere, complexum Patris. #HomiliaSanctaeMarthae

### **21 Martius 2020**

Remittit Dominus peccata omnia, opus est modo me ea eidem ostendere. #EvangeliumHodiernum nos docet modum orandi, modum accedendi ad Dominum: humilitate, "corde nudo", simplici mente, dimissis fallacibus virtutis speciebus. #HomiliaSanctaeMarthae

### **22 Martius 2020**

Coram Iesu sinceri cordis affectus patefaciuntur. #EvangeliumHodiernum (Io 9, 1-41) legamus, ut comperiamus quid eveniat cum Iesus praeterit. #HomiliaSanctaeMarthae

### **23 Martius 2020**

Prima condicio orationis fides est, perseverantia secunda, tertia fortitudo. His diebus, quibus magis orare oportet, quaeramus an ea oremus mente. Dominus non fallit! Extrahit nos, sed non fallit. #HomiliaSanctaeMarthae

### **24 Martius 2020**

In #EvangelioHodierno (Io 5, 1-16) adest paralyticus, animi defectione, maestitia, inertia laborans: venena haec sunt, caligo quae, animam circumsaepiens, officit ei quin vivat. Et adest aqua, nostrae vitae novae figura, qua Iesus usus est ad reficiendos nos, Baptisma. #HomiliaSanctaeMarthae

### **26 Martius 2020**

Quaerere hodie velim ab omnibus nostrum: quae idola maxime diligo? Ubi ea recondo? Obsecremus a Domino gratiam idola nostra cognoscendi et, si ea deicere nequimus, eadem saltem inter praetermissa seponendi. #HomiliaSanctaeMarthae

### **27 Martius 2020**

Dominum deprecemur, ut gratiam contra malum spiritum decertandi concedat, disputandi cum disputandum sit, silere autem audendi cum spiritus contentionis provehatur. #HomiliaSanctaeMarthae

### **28 Martius 2020**

LN: Populus Dei "nares" habet ad sciendum ubi est Spiritus, ad vias salutis cognoscendas. Populus Dei sequitur Iesum. Quare id faciat enarrare nescit, sed eum sequitur. Et non residet.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### **29 Martius 2020**

"Fremuit spiritu et turbavit seipsum et ... turbatus est Iesus" (Io 11, 33-35). Hodie coram populo, qui tam laborat ex effectibus huius universalis pestilentiae, obsecramus Dominum, ut gratiam concedat lacrimarum. Haec dies sit omnibus nobis dominica lacrimarum. #HomiliaSanctaeMarthae

### **30 Martius 2020**

Dominus mulierem innocentem iustificat, peccatricem remittit; corruptos damnat, homines fallaces adiuvat ut convertantur. Unusquisque nostrum gesta sua, peccata sua habet. Aspiciamus Dominum, qui ius reddit, sed permisericors est. #HomiliaSanctaeMarthae

### **31 Martius 2020**

Iesus eo peccata nostra suscepit, ut peccatum fieret ipse. Non facile est id intellegere, nec plene intellegemus umquam. Modo contemplari possumus, orare et agere gratias. #HomiliaSanctaeMarthae

### **1 Aprilis 2020**

"Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis" (Io 8, 31). Discipulus homo liber est, cum maneat in Domino. Manere in Domino vult a Spiritu Sancto regi. #HomiliaSanctaeMarthae

### **2 Aprilis 2020**

Sit conversatio nostra christiana tamquam illa Abraham patris nostri, qui conscius fuit se electum esse, laetus ad promissam se progredi et fidelis in testamento adimplendo. #HomiliaSanctaeMarthae

### **3 Aprilis 2020**

Hac feria sexta iuvabit nos consistere ac de doloribus meditari Mariae, Perdolentis illius, ac dicere "gratias, quia non recusasti te esse Matrem". In maternitate Dominae Nostrae maternitatem Ecclesiae omnes accipientis inspicimus. #HomiliaSanctaeMarthae

### **4 Aprilis 2020**

Consuetudinem nobis esse oporteret processum temptationis in nobis ipsis videndi, qui cor nostrum e malo in bonum immutat: quomodo processus hic in anima mea incepit? Quomodo auctus est? ... Spiritus Sanctus in hac interiore agnitione illustret nos. #HomiliaSanctaeMarthae

### **6 Aprilis 2020**

De nostro iudicabimur cum pauperibus commercio. Cum dicit Iesus "semper pauperes habetis vobiscum", id significat "semper vobiscum ero in pauperibus, illic adero". Adeo hoc est centrum Evangelii, ut de hoc iudicabimur. #HomiliaSanctaeMarthae

### **7 Aprilis 2020**

Lapsus semper vitae adsunt: unusquisque nostrum peccator est; nostra autem habitus coram Deo interest. Gratiam quaeramus in ministerio perseverandi et, cum labimur, gratiam flendi uti Petrus fleuit.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### 8 Aprilis 2020

Cogitemus de pusillo Iuda, quem unusquisque nostrum in interiore homine habet. Quisque nostrum sinceritatis utilitatisve suae eligendae habet facultatem. Quisque nostrum facultatem habet prodendi, venundandi, eligendi secundum commodum suum. Ubi es, Iuda? #HomiliaSanctaeMarthae

### 13 Aprilis 2020

Aut vita populorumque resurrectio aut diva pecunia erit nobis sponso: redeundum vero nobis est ad sepulcrum famis, servitutis, bellorum, armorum instructionis, puerorum institutione defraudatorum.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### 14 Aprilis 2020

Convertere corda vult ad fidem redire. Gratiam petamus hodie despiciendi trans certitudines nostras, ut fideles simus etiam coram sepulcris, coram tantis illapsis spebus. Inexpedita est perseverantia fidei. Eiusdem sit Ipse, Dominus, custos. #HomiliaSanctaeMarthae

### 15 Aprilis 2020

Fiducia Dei longanimis est erga populum suum. Auscultat Deus, ducit, lente docet atque cor refovet, sicut his duobus discipulis fecit, qui Hierosolymis decedebant: cor eorum calefacit, ut domum redeant.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### 16 Aprilis 2020

#EvangeliumHodiernum (Lc 24, 35-48) unum est ex illis mihi praenitentibus: "Non credentes prae gaudio" (cfr v. 41). Gaudio repleti non vult hilares esse, nugaces, sed aliud est: plenitudo scilicet consolationis, plenitudo praesentiae Domini. #HomiliaSanctaeMarthae

### TWEET 2

"Gaudium Domini est fortitudo vestra" (Ne 8, 10). Summa, quam habemus, vis ad perseverandum uti testes vitae gaudium Domini est. Cuius gaudii, quod fructus est Spiritus Sancti, exposcamus hodie gratiam.  
#HomiliaSanctaeMarthae

### 17 Aprilis 2020

Discipuli iter confecerunt consuetudinis cum Domino. Quam eandem consuetudinem cum Eo Ipse doceat nos, quae, licet personalis sit, semper tamen communis: consuetudo scilicet cotidianae conversationis, sacramentorum, in medio populi Dei. #HomiliaSanctaeMarthae

### 18 Aprilis 2020

Unde audacia apostolorum? Donum est Spiritus Sancti. Sinceritas, fortitudo, dona sunt, quae Dominus die Pentecostes largitur. Ex eodem Spiritus Sancti dono oritur missio. #HomiliaSanctaeMarthae

### 20 Aprilis 2020

Christi esse tantum non est mandata perficere, sed "nasci iterum" atque sinere Spiritum in nos ingredi ac nos adducere quocumque vult. Haec est Spiritus libertas. Dominus adiuvet nos, ut dociles semper simus ad Spiritum. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **21 Aprilis 2020**

Multa communitatem dividere possunt: pecunia, vanitas, garrulitas. Spiritus autem advenit, ut salvet nos ab his omnibus. Spiritus Sanctus magister est concordiae, concordiam gignit in communitate, quia Ipse concordia est, concordia Patris et Filii. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **22 Aprilis 2020**

Amorem Dei, qui Iesum filium suum misit, in nos sinamus ingredi adiuvareque nos ex Spiritus lumine videre. Quaeramus: in luce egone an in tenebris ambulo? filius sumne Dei an miser factus sum "vesperilio"? #HomiliaSanctaeMarthae

#### **23 Aprilis 2020**

Secretum Petri oratio Iesu: Iesus orat pro Petro, ne fides eius deficiat. Quod autem fecit Petro, nobis omnibus etiam facit. Iesus orat pro nobis coram Patre, vulnera sua ostendens, pignus nostrae salutis. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **24 Aprilis 2020**

Cor apostolorum informabat Iesus ad populos ministrandos; habitum hunc pastorem docebat, qui pastoris propinquitas est populo Dei. Instituta rem pastorem non creant, cor autem pastoris. #OremusOmnes pro Ecclesiae pastoribus. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **25 Aprilis 2020**

In #EvangelioHodierno Dominus valefacit: "Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae" (Mc 16, 15). Fides inducit, ut a te semper discedas. Tradenda est, praebenda fides, testimonio maxime. Ite, inspiciant populi conversationem vestram. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **26 Aprilis 2020**

Quam longanimis Dominus erga unumquemque nostrum! Condicioni nostrae parcat, ambulans iuxta nos sicut fecit discipulis Emmaus, nostras auscultat sollicitudines. Veretur nos, gratum ei est verba quibus utimur audire, ut intellegat nos aptumque praebet responsum. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **27 Aprilis 2020**

Accidit in vita ut a Domino aberremus atque ardorem amittamus primae vocationis. Exposcamus gratiam ad primum occursum semper redeundi, in quo Ipse inspexit allocutusque est nos et ingenuit nobis desiderium eundem persequendi. #HomiliaSanctaeMarthae

#### **28 Aprilis 2020**

Totiens de nostris iudiciis parvam incipimus cotidianam lapidationem. Adiuvet nos Dominus, ut aequi simus in nostris sententiis neque tantum incipiamus persequamurve rumorem, qui calumnias movet. #HomiliaSanctaeMarthae

### **29 Aprilis 2020**

In peccatis nostris confitendis oportet nos vagos non esse, sinceros autem ac genuinos tamquam pueros: "Peccator sum propter hanc istamque et illam culpam". Hoc ad opprobrium me adducit. Sinceritas id est, propter quod me revera peccatorem sentio, non autem peccatorem vagum. #HomiliaSanctaeMarthae

### **30 Aprilis 2020**

Testimonium nostrum ianuas aperit populo. Prex nostra ianuas aperit cordi Patris. Exposcamus a Domino, ut operam nostram testimonio exerceamus, atque oremus, ut Pater multitudines ad Iesum convertere valeat. #HomiliaSanctaeMarthae

### **1 Maius 2020**

Verbum "opus" adhibet Sacra Scriptura ad effingendam operam divinae creationis: "Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat" (Gen 2, 2). Hanc operam tradit Deus hominibus: opus vocatio hominis. #HomiliaSanctaeMarthae

### **2 Maius 2020**

Angustiae tempus sunt electionis. Haec universalis pestilentia tempus est socialium angustiarum. Quomodo subilimus? De Perseverantia, silentio, fidelitate in Deum, in decreta anteacta. Tempus angustiarum traductio est per ignem ad valescendum. #HomiliaSanctaeMarthae

### **3 Maius 2020**

Dominica Boni Pastoris pulchra est, dies est pacis, mansuetudinis, pietatis, cum Pastori nostro curae sit nostrum. "Dominus pascit me et nihil mihi deerit" (Ps 23, 1). #HomiliaSanctaeMarthae

### **4 Maius 2020**

Proposita quaedam adeo causa sunt discordiae, ut praecedant Spiritum Sanctum nos ducens. Liberet nos Dominus a discordiis et adiuvet nos, ut Iesu magnum intellegamus mysterium, qui pastor est omnium et in quo omnes fratres sumus. #HomiliaSanctaeMarthae

### **5 Maius 2020**

Mores quidam praepediunt nos in intellectum Domini progredi: divitiae, inertia, gravitas morum, clericalis superbia, mundi vanitas ... Caret libertas, neque possumus Iesum sequi, carente libertate. #HomiliaSanctaeMarthae

### **6 Maius 2020**

Haud facile est vivere ad lucem. Lux multa opprobria nostra ostendit: vitia, superbia, spiritus mundi. Iesus ipse autem dixit: "Age, illumineris sine, quia salvum te facio". Ne expavescamus lucem Iesu! #HomiliaSanctaeMarthae

### **7 Maius 2020**

Christi esse vult ad populum a Deo gratis electum pertinere, eorum meminisse, qui super viam salutis nos praeierunt. A Domino conscientiam quaeramus nos populi Dei esse, qui in universitate sua fidem olfacit. #HomiliaSanctaeMarthae

### **8 Maius 2020**

Quomodo consolatur Dominus? Ex propinquitate: parum loquitur, sed prope adstat. Ex veritate: non dicit vana neque decipit. Ex spe: "Ne turbetur cor vestrum". Consolatio Domini prope adstat, verax est et ianuas aperit spei. #HomiliaSanctaeMarthae

### **9 Maius 2020**

Ecclesia procedit inter consolationes Dei et persecutiones mundi. Spiritus Sanctus componit Ecclesiam. Spiritus malus corrumpit. Caveamus ne temporalibus potestatibus, sed Iesu Christo et Spiritui Sancto credamus. #HomiliaSanctaeMarthae

### **10 Maius 2020**

Audacia opus est orando. Orare vult cum Iesu Patrem adire, qui omnia tibi largietur. De hac audacia orationis procedit Ecclesia, id docente Spiritu Sancto, quod si nos paucillum agimus, Deus tamen est qui "res agit" in Ecclesia. #HomiliaSanctaeMarthae

### **11 Maius 2020**

Quid in nobis Spiritus Sanctus agit? Nos commonefacit omnium rerum quae dixit Iesus, nos docet ut magis magisque eum intellegamus, utque crescamus in fidem adipiscendam; nos comitatur ac nos in discernendo sustinet, nosque in parvis magnisque capiendis vitae consiliis illuminat.

### **12 Maius 2020**

Mundana pax ab aliis te seiungit, bonum quidem est quod a sensu te abstrahit. Transit ac sterilis est. Domini autem paci nihil additur, fructus ipsa gignit aliosque afficit. Ad alios te tradit, communitatem efficit, spe repletur quoniam in caelum suspicit. #HomiliaSanctaeMarthae

### **13 Maius 2020**

«Manete in me et ego in vobis» (Io 15, 4). Illud «manere» vim habet activam, non passivam. Mutuum est manere: «Ego sum vitis, vos palmites» (Io 15, 5). Et palmites umore indigemus, vitis autem fructibus, testificatione nempe. #HomiliaSanctaeMarthae

### **15 Maius 2020**

Perfecta sequela Iesu haud sibi vult rigorem, qui ad turbationem ducit, sed evangelicae libertatis spiritum, quae ad laetitiam. #HomiliaSanctaeMarthae

### **16 Maius 2020**

Quid spiritus mundi, de quo loquitur Iesus (Io 15, 18-21)? Est modus vivendi, cultus vanitatum nesciens fidelitatem. Exposcamus a Spiritu Sancto gratiam discernendi quid sit mundanitas et quid Evangelium. #HomiliaSanctaeMarthae

### **17 Maius 2020**

Vivimus hodie societatem quasi orbitatis sensu affectam, quae ad communicationem et fraternitatem pertinet, ob privationem Patris. A Spiritu Sancto eposcamus gratiam Patris reperiendi, Patris qui sensum dat universae vitae et efficit ut humanum genus una sit familia. #HomiliaSanctaeMarthae